

356

354

360

350

365

345

405

305

455

255

Ende

Anfang

341

extinctis luminibus, ita quod in toto templo non esset scintilla, mox (B) clero cantante et populo orante fulgor repente de coelo cecidit, et templum quasi igneum reddidit, adeo quod nemo ibi existentium intendere valuit in radium illum coelestem, quo radio cereus paschalis incendebatur, et omnes lampades et candelae. Hoc facto abcessit. Hoc miraculum multis annis contigit, et postquam cessavit, statim sepulchrum Domini in manus gentium evenit. Dicunt etiam, quod ultimo terra sancta recuperata ignis ille caelestis rediit, et cereum incendit. Sed ipso non veniente Christiani fuerunt repulsi. Est enim Christianis manifestum signum, si ignis ille paschalis apparuerit, quod digni sunt habitatores civitatis sanctae et possessores dominici sepulchri. Si non appareat, potentia eorum, etiamsi actu possideant, durabilis non est in terra sancta. Hodie Christiani, qui sunt in Jerusalem, omnes in vigilia paschae veniunt in templum, et Graeci includunt suum sacerdotem in monumentum Domini cum candela extincta, quam cum magno clamore profert accensam, de qua omnes lampades accenduntur. Non autem miraculose accenditur, sed arte, quamvis simplex vulgus clamet in coelum, Deum laudans, quasi miraculum sit factum, et ita divulgant apud plebem, et etiam apud Saracenos. Audivi pro certo, quod Saraceni dicant, si Christiani ignem paschalem de coelo haberent, ut dicunt, nobis et de hoc certificarent, ad Christum converti essemus parati. Sed heu, signa nostra non vidimus, iam non est propheta, et nos non agnoscat amplius. Verum de illa miraculosa incensione ignis vel cerei paschalis nil loquitur Jeronymus in his, ubi eum legi, cum tamen valde pulchrum tractatum et epistolam scripserit elegantem de accensione cerei paschalis ad Praesidium, diaconum. Nec Gregorius episcopus Turonensis, scriptor antiquorum miraculorum, illius ignis facit mentionem.

De hoc igne vide pulchra fol. 264. et seqq. Praeter ea, quae dicta sunt, siebant in ecclesia olim collationes et disputationes contra haereticos, et convocati vel fidei rationibus vel miraculis vincebantur, prout Cyrilus in epistola ad Augustinum refert de convictis haeresiarchis in ea.

